ELISEI BRIGHENTII

DE LIBELLI ΠΕΡΙ ΥΨΟΥΣ AUCTORE

DISSERTATIO

Ὕψος μεγαλοφροσύνης ἀπήχημα
(Π. ὕ, c. IX)

PATAVII
TYPIS SEMINARII
1895

EUGENIO FERRAIO

S.

EUGENIO FERRAIO

S.

DE LIBELLI ΠΕΡΙ ΥΨΟΥΣ AUCTORE

RECENSIO

I. codicum mss. V. pag. 31.

II. editionum — Apud veteres nulla invenitur commentarii Π. Ὕ. notitia, qui in bibliothecis latuit usque ad a. 1554.

1. *Editio princeps*, curante FRANCISCO ROBORTELLO, - graece; Basileae, 1554.
2. Curante PAULO MANUTIO, - gr.; Venetiis, 1555.
3. » FRANCISCO PORTO, - gr.; Genevae, 1569.
4. » GABRIELE DE PETRA, - gr., lat.; Genevae, 1612.
5. » GERARDO LANGBAINIO, - gr., lat. (Gabr. de Petra); Oxonii, 1638.
6. Gr., lat. (Gabr. de Petra et Dominici Pizimentii); Bononiae, 1644.
7. Curante TANAQUILLO FABRO, - gr., lat. (Gabr. de Petra); Salmurii, 1663.
8. » JACOBO TOLLIO, - gr., lat. et gallice (Boilavii); Traiecti ad Rhenum, 1694.
9. » JOANNE HUDSONO, - gr., lat. (Tollii perstricti); Oxonii, 1710.
10. » ZACHARIA PEARCIO, - gr., lat.; Londini, 1724.
11. Gr., lat. (Pearcii); Amstelodami, 1733.
12. Gr., lat. (Tollii perstricti), ital. (Gorii), gall. (Boileavii); Veronae, 1733.
13. Curante CAROLO HENRICO HEINEKIO, - gr., germanice; Dresdae, 1737.
14. » SAM. FR. NATHANO MORO, - gr., lat.; Lipsiae, 1769.
15. » C. LANCELOTIO, - gr., gall. et germ.; Ratisbonae 1775.
16. » JOANNE TOUPIO, - gr., lat. (Pearcii), Oxonii, 1778.
17. Gr., lat. (Mori); Parmae, 1793.
18. Curante BENIAMINO WEISKIO - gr., lat. (Mori retractati); Lipsiae, 1809.
19. » AEMILIO EGGERO, - gr.; Parisiis, 1837.

20. Curante LEONARDO SPENGELIO. - gr. (in I vol. Rhet. Graec.); Lipsiae, 1853.
21. » ALOYSIO VAUCHERO, - gr. gall.; Genevae, 1854.
22. » OTHONE IAHNIO - gr.; Bonnae, 1867. Iterum edidit JOANNES VAHLEN; Bonnae 1887.

III. versionum. In italicum sermonem librum Π, ὕ verterunt:

1. NICOLAUS PINELLIUS; Patavii, 1639.
2. ANT. FRANCISCUS GORIUS; in edit. veronensi a. 1733; deinde Florentiae, 1737, etc.
3. FRANCISCUS FIOCCHIUS; Vigeblani, 1812.
4. THEODORUS ACCIUS; Mediolani, 1830.
5. AEMILIUS TIPALDUS; Venetiis, 1834.
6. JOANNES CANNA; Florentiae, 1871.

IV. dissertationum. Praeter quos supra commemoravi censores vel interpretes, quorum plerique suas editiones versionesque doctis prooemiis locupletaverunt, de Longino eiusque operibus legi possunt quae ab historiae graecarum literarum scriptoribus dicuntur, Bernhardyo (*Grundiss der griechischen Lit.*), Schoellio (*Histoire de la littérat. gréque*) aliisque; insuper, ut multa omittam, quae sequuntur:

Jo. G. BERGERI De naturali pulchritudine orationis ecc.; Lipsiae, 1720;

DAV. RUNHKENII Narratio de fragmento Longiniano a se invento in Apsine rhetore (e diario: «Bibliothèque des Sciences et des Beaux-Arts»; gallice deinde repetita); Hagae, 1765;

R. ROBINSONII Indices tres vocum ecc.; Oxonii, 1772;

FR. A. WOLFII De D. Ruhnkenii celebri quodam reperto literario (in «Liter. Analek.»); Berolini, 1820;

ANT. WESTERMANNI Geschichte der griechischen Beredsamkeit; Lipsiae, 1833;

Ed. MüLLERI Geschichte der Theorie der Kunst bei den Alten; Uratislaviae, 1837;

AEM. EGGERI Essai sur l'histoire de la critique chez les Grecs; Parisiis, 1849;

ST. CUMANUDIS Specimen emendationum in Longinum, Apsinem, ecc.; Athenis, 1854.

Dissertationes autem in quibus de libro Π. ὕ. eiusque auctore data opera disputatur haec sunt:

CONR. SAM. SCHURZFLEISCHII Animadversiones ad Dionysii Longini π. ὕ. commentationes e Codd. a Jac. Tollio omissis erutae iamque demum in lucem emissæ; Vitembergae 1711;

DAV. RUNHKENII (PETRI JO. SCHARDAM) De vita et scriptis Longini; Lugduni Batav. 1776;

G. WINTERI De Dionysio Longino; Lipsiae, 1789;

Anonymi (KNOX a censoribus vocatur) Remarks on the supposed Dionysius Longinus; Londini, 1826;

Jo. BOISSONADI Biografia universale, voce «Longino»; Venetiis, 1827;

J. SPONGBERGI De commentario Dion. Cassii Longini π. ὕ. expositio; Upsalae, 1833-35;

TH. ROEPERI Dissertatio in «Philol»; Gottingae, 1846;

G. BUCHENAVII De scriptore libri π. ὕ.; Marburgi Cattorum, 1849;

L. B. FRANCI Utrum Dion. Longino adscribendus sit liber qui π. ὕ. inscribitur; Gratianopoli, 1862;

AEM. WINKLERI De Longini qui fertur libello π. ὕ. dissert. inaug.; Halis, 1870;

M. HAUPTI De locis nonnullis libelli π. ὕ. scriptoris qui perperam Longinus appellatur (In ind. lect. habendarum in Univ. Frid. Guilelma); Berolini, 1870;

LUD. MARTENSII De libello π. ὕ. diss. philol.; Bonnae, 1877;

ANT. JANNARAKIS Εἰς τό Π. ὕ. λεγόμενον βιβλίον κριτικαί σημειώσεις; Marburgi Catt., 1880:

MART. HERTZII Ad Jo. Vahlen epistola (In ind. lect. habendarum in Univ. Uratisl.); Uratislaviae, 1881;

HENR. HERSELI Qua in citandis scriptorum et poetarum locis auctor libelli π. ὕ usus sit ratione; Berolini, 1884.

DE LIBELLI Περὶ Ὕψους AUCTORE

I.

1. — Antequam anno MDCCCVIII acutissimus ille et doctissimus bibliothecae Chisianae praefectus Hieronymus Amatius suis dubitationibus quaestionem de auctore libelli qui Περὶ ὕψους inscribitur attulisset [1]), quae multorum deinde clarissimorum hominum ingenia exercuit, hic aureus commentarius Cassio Longino rhetori, quem falso et Dionysium censores veteres appellabant [2]), omnium consensu tribuebatur.

2. — De Longini patria nulla est certa notitia; multi enim eum Palmyrenum existimant, alii Atheniensem fuisse contendunt, nonnulli etiam perperam Pamphylium; - nos illorum opinioni accedimus qui Emisenum putant his praesertim argumentis, quod eius mater Phrontonis procul dubio esset Syra, et Emisenus Phronto avunculus appellaretur, qui Athenis, cum diu magnaque laude eloquentiam docuisset, moriens, eum heredem instituit [3]); denique quod Emisam, ut videtur, declinante aetate Longinus, sive ut consanguineos inviseret, sive ut aliam ibi hereditatem adiret, se contulisset. - Sed satis est nobis

---

[1]) V. infra pag. 32.

[2]) V. pag. 32 et ibid. n. 1.

[3]) Suidas, v. Φρόντων.

hanc, quae parvi vel minime nostra refert, controversiam attigisse [1].

Ne hoc quidem de Longino, quo anno natus sit, antiquorum scriptorum incuria, qui tempus tantummodo quo floruit definierunt [2], satis certum habemus; sed si eum Porphyrio discipulo viginti circiter annis maiorem putemus, anno post Chr. n. CCX, vel haud multo post, cum constet illum a. CCXXXII, natum esse nobis facile persuasum erit.

3. — Prima adolescentia multas, ut ipse narrat [3], una cum parentibus regiones peragravit, atque celeberrimos illis temporibus philosophos platonicos, stoicos, peripateticos audivit, inter quos Ammonium Saccam, Origenem, Plotinum, Amelium. Sed quamvis praesertim Plotini [4] acutum admiraretur ingenium, tamen illorum philosophandi rationem secutus non est, qui, recentiorum platonicorum nomine, Platonis doctrinam foedum in modum adulterabant, sed huius e primo purissimoque fonte hauriendum putabat [5]; Platonemque ita venerabatur, ut ad eius natales celebrandos, τὰ Πλατώνεια ἑστιῶν, summos viros Athenis solemni convivio excipere solitus esset [6].

Nam in hac urbe complures annos non solum philosophiam professus est, sed etiam eloquentiam [7] criticamque et rhetori-

---

[1] V. Dav. Ruhnkenii *De vita et scriptis Long.*, diss. philol. mense oct. a. 1776 in auditorio literario acad. Lugdun. Batav. lectam, deinde alieno nomine (Petro Joanne Schardam), in eadem urbe eodemque anno editam.

[2] Ex. gr. Photius in *Biblioth.* Cod. CCLXV: ἐπὶ Κλαυδίου ...ἤκμαζε; Suidas autem v. Λογγῖνος: ἦν... ἐπὶ Αὐρηλιανοῦ κτλ.

[3]. In prooemio (quod nobis Porphyrius in *Vita Plotini* conservavit) libri Πρὸς Πλοτῖνον καὶ Γεντιλιανὸν Ἀμ. περὶ τέλους.

[4] V. Porphyrii in *Vita Plot.* l. c. et Longini epistolam.

[5] Quod manifeste cum ex multis apparet, tum e Longini *Commentario in Prooemium Timaei Platonici*, cuius nobis fragmenta nonnulla exstant apud Proclum.

[6] Hoc affirmat Porphyrius in Eusebii *De praeparat. Evang.* X, 3.

[7] Ut ex illis verbis argumentari licet, quae Longinus in prooem.

cam artem summa cum laude docuit; discipulum autem habuit Malchum illum tyrium [1]), quem Porphyrium deinde nominavit, magnoque eum semper prosecutus est amore, etiam cum, sua deserta disciplina, ad Plotinum transiisset; quin serius librum Περὶ ὁρμῆς ei nuncupavit, eumque, literis Tyri scriptis [2]), invitavit ut, confirmandae salutis causa, e Sicilia Palmyram se conferret.

4. — Longino clarissimum jam nomen adepto, Septimia Zenobia, Palmyrenorum regina, quae, mortuo iam anno post Chr. n. CCLXVII Odaenatho marito, Orientis imperium tenebat, mulier elati animi [3]), graecarum literarum magistro uti voluit, quumque ipsius ingenium perspexisset non minus ad artes pacis quam belli idoneum, tanti viri freta prudentiâ regnum statuit administrare, eumque rerum gerendarum arbitrum adhibuit [4]). Sed, a Longino incitata, libertatis amantissimo, Romanorum iugum excutere voluit, Aurelianoque, qui literas miserat « deditionem petens, vitam promittens...., superbius insolentiusque rescripsit, quam eius fortuna poscebat [5]) ». Sed propter

---

libri Π. τέλους scripsit, Porphyrium suae disciplinae Plotini «philosophi» disciplinam praeposuisse: ὃν (Πλωτῖνον) ἀποδεξάμενος (Πορφύριος) μᾶλλον τῆς παρ' ἡμῖν ἀγωγῆς κτλ. — Insuper v. pag. 40.

[1]) V. Eunapii *Vitam Porph.* in *Vit. philosoph. et sophist.*

[2]) Quae nobis exstant in Porphyrii *Vita Plot.*

[3]) Quam perperam nonnulli Iudaeorum religioni accessisse tradiderunt.

[4]) Photius in *Biblioth.* cod. CCLXV; — Suidas v. Λογγῖνος; — Flavius Vopiscus in *Aurel.*

[5]) Ex Fl. Vopisci *V. Aureliani,* c. 26,27; haec autem epistola: «Zenobia, regina Orientis, Aureliano Augusto: Nemo adhuc, praeter te, quod poscis literis petiit. Virtute faciendum est quidquid in rebus bellicis est gerendum. Deditionem meam petis, quasi nescias Cleopatram reginam perire maluisse quam in qualibet vivere dignitate. Nobis Persarum auxilia non desunt, quae iam speramus; pro nobis sunt Saraceni, pro nobis Armenii. Latrones Syri exercitum tuum, Aureliane, vicerunt; quid igitur, si illa venerit manus, quae undique speratur? Pones profecto supercilium, quo nunc mihi deditionem, quasi omnifariam victor, imperas».

hanc epistolam, syro sermone nobilibusque sententiis contextam, imperium Zenobia, vitam amisit Longinus. Aurelianus enim, ira incensus, cum brevi Syria, Aegypto, Asia Minore potitus esset, Zenobiam ad Antiochiam Emisamque vicit, Palmyræ obsedit et ad Euphratem versus fugientem captivam fecit. Tum illa, quae sibi imitandam Cleopatram proposuerat, mortis metu animum demisit, et, culpa semet eximens, cum multos alios qui eam veluti feminam seduxissent, tum Longinum incusavit [1], patiens in Aureliani triumpho duci; qui statim Longinum tolli atque interfici iussit.

Tum hic philosophiam quam profitebatur in mores suos abiisse demonstravit: tam fortiter enim supplicium subiit, ut qui ipse consolandus esset alios, eius calamitatem indigne ferentes, consolaretur [2]. Ita, anno post Chr. n. CCLXXIII, vir ille summus interiit, cuius vita singulare omnium virtutum specimen fuit, mors autem non minus admiranda quam sanctissimi omnium philosophorum, qui noster hoc tantum inferior videatur, quod pro Platone discipulum habuerit Porphyrium.

5. — Magna enimvero apud veteres fuit Longini auctoritas [3], non modo earum quas professus est disciplinarum causa, verum etiam propter scripta, quae reliquit multa, cum Eunapio [4]) aliisque testibus, tum titulis qui tot operum paene soli supersunt [5]. — Nos autem confidimus hanc posse

---

1) Zozimus in *Hist.*, I, 56: πολλούς τε ἄλλους ἦγεν εἰς μέσον, ὡς παραγαγόντας οἷα γυναῖκα· ἐν οἷς καὶ Λογγῖνος ἦν κτλ.

2) Zozimus, l. c.: ἣν (ζημίαν) οὕτω γενναίως ἤνεγκεν ὁ Λογγῖνος, ὥστε καὶ τοὺς σχετλιάζοντας ἐπὶ τῷ πάθει παραμυθεῖσθαι.

3) V. pag. 39 et seqq.

4) In *V. Porphyrii.*

5) Longinianorum operum diligentiorem recensionem hic, ut ad ea quae sequuntur conferat, inserendam putavi:

§ I. Ex Suida:

1. **Περὶ τοῦ Φειδίου** (forte **Μειδίου** Demosthenis, vel potius **Μηδίου** *philosophi*).

dissertationem probare Longino etiam Περὶ ὕψους commentarium adscribendum esse, quo profecto, ut Ruhnkenii verbis utar, « nullus unquam rhetorum et sophistarum aut scripsit, aut scribere potuit aliquid disertius; » qui liber, ne quem in falsam

---

2. Ἀπορήματα Ὁμηρικά.
3. Εἰ φιλόσοφος Ὅμηρος.
4. Προβλήματα Ὁμήρου καὶ λύσεις, ἐν βιβλίοις β'.
5. Τίνα παρὰ τὰς ἱστορίας οἱ γραμματικοὶ ὡς ἱστορικὰ ἐξηγοῦνται.
6. Περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ πολλὰ σημαινουσῶν λέξεων, ἐν βιβλίοις δ'.
7. Ἀττικῶν λέξεων ἐκδόσεις β'.
8. Λέξεις Ἀντιμάχου καὶ Ἡρακλέωνος.

Haec omnia a SUIDA, v. Λογγῖνος, recensentur, qui enumerationem verbis absolvit: καὶ ἄλλα πολλά, - inter quae sunt addenda:

§ II. Ex PORPHYRII *Vita Plotini:*

9. Περὶ ἀρχῶν.
10. Ὁ φιλαρχαῖος.
11. Περὶ ὁρμῆς.
12. Πρὸς Πλωτῖνον καὶ Γεντιλιανὸν Ἀμέλιον περὶ τέλους.
13. Πρὸς τὸν Ἀμέλιον ἐπιστολή.
14. Περὶ τῆς κατὰ Πλάτωνα δικαιοσύνης.
15-16. Περὶ τῶν ἰδεῶν.

§ III. Ex aliis fontibus:

17. Περὶ ψυχῆς (ex Eusebii *De praeparat. Evang.*, et ex Porphyrio apud Stobaeum).

18. Οἱ φιλόλογοι (ex Io. Siceliotae *Comm. in Hermogenem*), vel potius Αἱ φιλόλογοι ὁμιλίαι (ut ex cod. paris).

19-20. Ἐξηγήσεις β' εἰς Πλάτωνος Τιμαῖον καὶ Φαίδωνα (ex Procli et Olympiodori *Commentariis*).

21. Σχόλια εἰς τὸ τοῦ Ἡφαιστίωνος ἐγχειρίδιον (περὶ μέτρων στίχων) (ex Cod. mss. Biblioth. Vatic., Paris, Ambros).

22. Τέχνη ῥητορική (ex Io. Sicel. *Comm. in Hermog.* et Codd. mss.).

23. ? Λεξικὸν τῶν ἐνδιαθέντων γραφῶν ἐκτεθὲν παρὰ Στεφάνου καὶ Θεοδωρήτου Κασσιανοῦ (ex Cod. Vaticano), excerpta, ut videtur, ex opere Περὶ Ἀττικῶν λ.

24. Περὶ ἐθνικῶν (ex vet. gramm.).

25. Ὀδαίναθος (ex Libanii *Ep.* 293).

§ IV. 26. Περὶ ὕψους.

De hoc est quaestio; sed, si Longino hunc librum tribuamus, ne-

adducat titulus opinionem, non de illa loquitur sublimitate, quam elatius planiusque critici atque philosophi recentiores

---

cesse est inter eius opera et illa adnumeremus, quae auctor ipse commemorat; videlicet:

27. Περὶ Ξενοφῶντος (ex c. VIII).

28. Περὶ συνθέσεως λόγων, β' (ex c. XXXIX).

Praeter librum Π. ὕ., nobis supersunt:

a) illorum operum, quae citat Suidas, particulae tantum libris, ut videtur, quos n. 2, 6, 7 signavimus, adscribendae;

b) prooemium operis Περὶ τέλους, pars Epistolae ad Amelium aliaque minora, Porphyrii in *V. Plotini;*

c) libri n. 17 notati fragmentum in Eusebii l. c. (Πρὸς τὴν τῶν Στωικῶν περὶ ψυχῆς δόξαν ἀντίρρησις) et nonnulla breviora apud Stobaeum et Proclum;

d) operum n. 19-20 nonnulla in Proclo et Olympiodoro;

e) scholia ad Hephaestionem ex Codd. mss. (primus huius operis partem edidit Io. Hudsonus, Oxonii, 1710);

f) magna pars Τέχνης ῥητορικῆς, quam Dav. Ruhnkenius a. 1765, iniectam Apsinis Rhetoricae, invenit (cum antea breve tantum fragmentum ex Hermog. interpr. Max. Planude et Io. Siceliota notum esset) ediditque primus Io. Bakius (*Apsinis et Longini Rhetorica* ecc.; Oxonii, 1849):

κεφ. α' - περὶ εὑρέσεως, de inventione;
» β' - περὶ οἰκονομίας, de dispositione;
» γ' - περὶ λέξεως, de elocutione:
» δ' - περὶ ὑποκρίσεως, de actione;

a quo opere dissocianda non est aurea illa anonymi Epitome Longinianae Art. Rhet., quam, a C. F. Mattaeio in Biblioth. urbis Mosquae repertam, idem Io. Bakius edidit (op. cit.).

g) Demum, ut fragmenta omittam ex eodem Apsinis opere educta, alterum περὶ μνήμης, alterum περὶ τῶν τελικῶν, *Excerptaque e Longini rhetoricis scriptis* (Ἐκ τῶν Λογγίνου ῥητορικῶν) e Biblioth. Laurentiana deprompta, et ab Eggero, Parisiis a. 1837, edita primum, de quibus omnibus eruditi viri discrepantes sententias tulerunt, - exstant nobis apud Photium, Homeri Hermogenisque interpretes, nec non in Codd. mss., Longini operum rhetor. et philosoph. aliæ exiguae parvique momenti particulæ, quae A. Vaucheri in editione (Genevae, 1854) legi possunt.

iidemque doctissimi tractaverunt; neque de *grandi* vel *sublimi* (quod graece ἁδρὸν vel δεινὸν vocatur) dicendi genere, a *mediocri* vel *medio* (μέσον vel ἀνθηρόν) et a *tenui* vel *subtili* (ἰσχνὸν vel λιτόν) distinguendum, - huius enim partitionis nullum est in Π. ὕ. commentario vestigium; - sed vias, cum præceptis tum exemplo, oratoribus demonstrat, quibus in arte sua excellentiam, quae nunc hoc nunc illo, ut argumentum poscat, orationis genere attingi possit, consequantur.

Nostrum non est penitus de hac controversia inquirere, quam multi bene vel perperam pertractaverint; sed nos recte opinari non minus difficultatibus atque inconsequentiis probatur, quas offenderunt qui de hoc libro aliter ac nos senserunt [1]), quam sententiarum ordine et genere exemplorum quæ in ipso proferuntur; atque perspicue ex summa commentarii apparet, quam, ut nonnulla clariora videantur quae nobis dicenda sint, lectori subiicimus.

6. — Cæcilii *De sublimitate* libellus, nimis imperfectus, auctori occasionem, Posthumio Terentiano amico rogante, eiusdem retractandi argumenti praebet.

Illud est in oratione sublime quod magis ad auditorum animos rapiendos valet, quam ad eorum mentibus persuasionem inducendam (c. I.) Falso iudicant nonnulli sublimitatem artis praeceptis non contineri, nam vel optima sine fraeno periclitantur (c. II) [2]). Illis qui sublimes in dicendo esse volunt inanis tumor primum est vitandus, quem interdum Aeschylus, Gorgias Leontinus, Callisthenes, saepe Clitarchus, Amphicrates, Hegesias, Matris non vitaverunt; secundum puerile seu frigidum dicendi genus effugiendum; demum vitium, quod in affectuum intempestiva concitatione versatur, et *parenthyrsi* nomen a Theodoro accepit (c. III.). Illius vitii quod secundum contra sublimitatem memoravimus plenus est Timaeus, in idemque

---

[1]) Ut Morus, Schueckius, Winklerus aliique.

[2]) Hic duo folia in Cod. parisiensi desiderantur.

Xenophon, Plato, Herodotus, cetera summi, incidunt (c. IV). Ex iisdem causis haec omnia vitia oriuntur atque magnificentia attingi potest, splendorque orationis, praesertim exornata et suavi elocutione; est igitur ratio quaedam perspicua, cuius auxilio regamur, statuenda (c. V) [1]. Hanc vero consecuti erimus si, quae res est omnino difficilis, certam notitiam clarumque de sublimitate iudicium nobis comparaverimus (c. VI). Vera hoc a fallaci orationis sublimitate distinguitur, quod illa animos erigit, iisque plura quam quae dicta sint consideranda reliquit, semperque et ubique et omnibus placet (c. VII). Quinque sunt huius virtutis uberrimi fontes, quos dicendi facultas necessarie debet comitari: horum magni animi sensus [2]) vehementesque affectus [3] (quos male Caecilius praetermisit) maxima ex parte sunt naturales; apta vero figurarum conformatio [4], nobilis elocutio [5], magnifica compositio [6] artis praeceptis adquiri possunt (c. VIII) [7].

Mentem spiritumque semper celsae alant cogitationes; elati enim animi quaedam imago est sublimis oratio; cuius exemplis Ilias abundat, praecipue in illis quae ad deorum pugnas naturamque (de qua digne etiam legum Iudaeorum scriptor locutus est) herorumque res gestas pertinent; in Odyssea vero, quam senior Homerus composuit, concitata illa oratio languescit, atque ad morum picturam declinat (c. IX). Qui student in dicendo sublimes fieri, ex multis quae dici possint validissima sapienter deligere debent aptaque exponere compositione; qua virtute Sappho poëtria, Homerus, Archilochus, Demosthe-

---

[1]) Hic est maxima (sex fol.) cod. paris. lacuna.

[2]) De hoc sublimitatis fonte in c. X-XV agitur.

[3]) Hos in parte secunda, quae desideratur, commentarii tractare in animo habuisse auctor videtur.

[4]) C. XVI-XXIX.

[5]) C. XXX-XXXVIII.

[6]) C. XXXIX-XLIV.

[7]) Tertia duorum fol. lacuna.

nes praediti fuerunt, caruerunt vero Arimaspiorum auctor et Aratus (c. X). Inter quas supra diximus virtutes amplificatio adnumeranda est, cuius ferme innumerabiles sunt formae; sed nulla perfecta nisi sublimitati coniuncta, a qua vero differt: quantum et quomodo breviter dicendum (c. XI). Sublimitas et amplificatio hoc inter se discrepare videntur, quod illa in elatione, haec autem in copia rerum posita sit, ut ex Demosthene et Cicerone manifeste apparet, quorum alter, strictior in dicendo, fulmini, alter, copiosior, flammae diffusae comparari potest (c. XII). Platonis autem oratio, quamquam placide fluit, non minus tamen assurgit, qui aliam nobis, qua consequi sublimitatem possimus, viam ostendit, si veteres scriptores (ut Homerum, Stesichorum, Archilochum, magisque, addam, ipsum Platonem) imitatione atque aemulatione prosequamur (c. XIII) [1]; qui vero hac mente in soluta aut ligata oratione imitandi sunt, veluti si illis dicendae res vel audiendae essent; at multo maius erit incitamentum, si cogitemus quid de nobis remotissimi nepotes sint existimaturi (c. XIV). Praeter haec, visiones vim splendoremque mirum in modum orationi afferunt, quae in poetis terrore eorum qui audiunt animos perturbant et rapiunt (ut Aeschylus, Sophocles, Euripides, Simonides demonstrant), in oratoribus perspicuitate persuadent et subigunt (ut in Demosthene et Hyperide conspici potest) (c. XV).

Etiam figurae potissimum ad sublimitatem accommodatae sunt, quibus sapienter Demosthenes in iureiurando, quod et apud Eupolidem legitur, usus est (c. XVI); invicem autem sublimitas figuras adiuvat, quae, cum latentes tantum optimae videantur, ipsa sublimitate animique concitatione, ut in exemplo superiori, teguntur (c. XVII). Varietatem magnificentiamque orationi afferunt interrogationes, ut ex Demosthene et Herodoto apparet (c. XVII) [2]; nec non asyndeta, quae, ut in

---

[1]) Quarta duorum fol. lacuna.

[2]) Etiam hic duo folia desiderantur.

Xenophonte et Eurylocho, orationis cursum magnopere concitant (c. XIX), praesertim si cum aliis figuris iungantur, quarum coacervatio, ut Demosthenis loci nonnulli demonstrant, acrimoniam ornatumque augent (c. XX); vinculis contra coniunctionum oratio enervatur (c. XXI). Ex eodem genere etiam hyperbata sunt, quae interdum, rerum ordine immutato, naturam imitantur; iisque sapienter Herodotus, saepius Thucydides, saepissime Demosthene usi sunt (c. XXII); his addenda polyptota et similia; itemque numerorum commutatio, ut apud Sophoclem, qui pluralibus saepe amplitudinem magnificentiamque adeptus est (c. XXIII), vel apud Demosthenem et Herodotum, qui singularibus vim quandam et gravitatem assecuti sunt (c. XXIV) [1]; temporum, ut in Xenophonte et Thucydide (c. XXV); personarum, quae variis modis fit; alterius generis exempla Homerus, Aratus, Herodotus praebent (c. XXVI); alterius, praeter Homerum, Hecataeus et Demosthenes (c. XXVII). Periphrasis autem saepenumero orationem exornat attollitque, ut Platonis, Xenophontis, Herodoti exemplis comprobatur (c. XXVIII); nisi si quis, in quo interdum ipse Plato erravit, ea immodice vel intempestive utatur (c. XXIX).

Sed qui scribit vel loquitur ne verborum quidem delectum debet negligere, nam pulchra verba mentis lumen sunt, quamquam eorum splendor magnificentiaque non omnibus orationis partibus conveniunt (c. XXX). Quin et vulgare dicendi genus interdum non solum a vilitate disiunctum, sed quam maxime ad illud quod significandum sit accommodatum videtur, ut in Anacreonte, Theopompo, Herodoto (c. XXXI)). Copiam autem metaphorarum male iudicant multi esse vitandam; probanda est enim ubi affectus praecipites erumpunt, qua in re certam nobis normam Demosthenes praebet, nec non in descriptionibus, ut Xenophon optime, divine vero Plato fecerunt. Verum-

---

[1]) Sexta duorum fol. lacuna.

tamen cum haec tum cetera orationis ornamenta reprehendenda, si modum praetergrediantur, ut in Platone affirmant; cui Lysiam Caecilius, ut ab omni vitio immunem oratorem, anteponit (c. XXXII), sed falso: nam praestantior est sublimis oratio in nonnullis aliquando peccans, quam mediocris omni vitio carens; qua de re Apollonio et Theocrito Homerus, Eratostheni Archilochus, Bacchylidi Pindarus, Ioni Sophocles anteponendi sunt (c. XXXIII); longeque Hyperidem Demosthenes antecedit (c. XXXIV); naturam enim, quae omnium rerum magnarum desiderium admirationemque animis nostris ingeneravit, optimi scriptores secuti sunt (c. XXXV); quibus vitia propter virtutum magnificentiam facile condonamus. Sed quae diximus ad res orationemque in primis natura profectas pertinent; in arte autem quod est omnino perfectum laudatur (c. XXXVI). Translationibus affines sunt comparationes (c. XXXVII) et superiectiones; sed, his nisi sapienter et modice utaris, puerilitatis in vitium, ut Isocrates, cades; ex ipsa enim rerum natura vehementique animi commotione, velut in Thucydide et Herodoto, nasci videntur; qua de re, ut comicorum exemplis potest comprobari, cum ad augendam tum ad minuendam orationem valent (c. XXXVIII).

Numerosa autem oratio non solum aures mulcet eorum qui audiunt, sed animos etiam movet, qua in re admiratione summa dignus est Demosthenes (c. XXXIX); praecipueque orationis sublimitati membra componere et rite in unum corpus colligere conducit; quin etiam multi minime natura sublimes scriptores apta verborum structura et coniunctione, ut Philistus et in nonnullis Aristophanes Euripidesque, dicendi maiestatem consecuti sunt (c. XL); sed nihil in hoc genere magis sublimitati contrarium quam numerus nimis concitatus aut contractus (c. XLI), vel oratio praeter modum concisa, qua rerum pondus minuatur, aut producta, qua vires relaxentur (c. XLII); itemque verba humilia et abiecta, ut in Herodoto et Theopompo; splendore enim orationis argumenti dignitas

aequanda est (c. XLIII). Priusquam progrediamur haec est ponenda quaestio, cur oratores omnino sublimes pauci hac aetate vel ferme nulli sint; quod, nostra sententia, non, ut quidam ratus est philosophus, amissa fit libertate, ad alendos magnorum ingeniorum spiritus mutuaque contentione augendos maxime accommodata; sed moribus corruptis et in primis avaritia voluptatibusque immodicis. Sed ad illa de quibus nos dicturos polliciti sumus, animi motus, tandem deveniamus (c. XLIV ....) [1].

II.

7. — Multa eaque discrepantia de libri Π. ὕ. auctore nostro saeculo scripta sunt, quae satis experimento probaverunt fallacia vel clarorum virorum esse iudicia ex coniecturis deducta, et facile rerum novarum studio acceptarumque a veteribus despectu fieri ut incertis plane falsa praeferantur.

Hoc certum est, adhuc sub iudice litem esse, magnasque, quominus resolvatur, difficultates obstare, de quibus ego, eandem quaestionem mente contrectans, valde sollicitus sum, minime vero de illis, quae viri docti, quod sententiam ab ipsis reiectam defendam, de me sensuri sint. Enimvero nuper Martensius quidam haec scripsit: « Mirum sane est ne hodie quidem exstirpatam esse futilem illam opinionem de Longino libri περὶ ὕψους auctore. Cum enim neque librorum auctoritate defendatur, et ipsius libri indole plane excludatur, nihil huic viro favet nisi priorum temporum consuetudo [2]; » quae mihi

---

[1]) Reliqua dolendum est deesse.

[2]) LUDOV. MARTENSII *De Libello* Π. ὕ. *dissert. philol.;* Bonnae, 1877: citat autem in adnot. Io. Cannam, nimiae tantum, mea sententia, dubitationis incusandum.

verba magis temeraria videntur quam futilis ei de commentarii nostri auctore opinio, quam et nos profitemur, atque exponere hac spe confisi conabimur, nos eo saltem praestaturos ceteris, qui eandem sententiam secuti sunt, quod, cum controversiae multum Longiniana studia aluerint, nova argumenta atque ad illam persuasionem animo inducendam accommodata, quae nos teneat, afferre possimus.

8. — Ante omnia libelli aetatem statuendam puto, ad quam, ceteris omissis quaestionibus, nunc eruditorum hominum conversa ingenia videntur; adversariaque argumenta [1]) refutans vel saepe mihi adhibens retorta, saeculo tertio post Chr. n. Π. ὕ. commentarium adscribi posse declarabo.

9. — Hoc, ut iam disputationem ingrediamur, negant multi quod libelli « stylus ac modus loquendi grandis, virilis, castigatissimus, longe ab illo remotus sophistico et fracto, qui aevo Aurelianeo vigebat [2]) » videatur; hac enim aetate, universis li-

---

[1]) Quibus freti

Hier. Amatius in Epist. ad Weiskium (edit. praemissa Lipsiensi, 1809) librum, quem Dion. Halicarnassensi tribuit, saec. augusteo adserendum putat;

Anonymus (Knox), ignoto auctori adscribens, de aetate eandem fert sententiam (in *Remarks on the supposed Dion. Long.;* Londini, 1826);

G. Buchenavius (*De script. l. π. ὕ.*; Marburgi Catt., 1849) eum exaratum censet Vespasiano imperante;

G. Bernhardyus (*Grundriss der griechischen Lit.;* Halis, 1852) saeculo augusteo vel paulo post;

Al. Vaucherus (*Études critiques sur le Traité du Subl. et sur les écrits de L.;* in sua edit., Genevae, 1854) scriptum (a Plutarcho) primo declinante vel secundo ineunte saec. existimat;

Aem. Winklerus (*De Long. qui fertur l. π. ὕ.*; Halis, 1870) primo saec,;

L. Martensius l. c. Tiberianae aetati vindicat;

H. Herselus (*Qua in cit. scriptorum et poet. locis* ecc.; Berolini, 1884) aut ultimis Tiberii annis aut Caligulae temporibus assignat.

[2]) Ex Amatii Epist. cit., quam in fronte animadversionum suae edit. (Lipsiae, 1809) Ben. Weiskius typis exprimendam curavit.

teris languescentibus, nullum exstitit opus in quo magni alicuius ingenii elative animi lux fulgeret, cum Dion Cassius, Athenaeus, Philostratus, qui summi inter aequales scriptores habentur, suis libris elegantes imitatores vel acutos eruditosque homines tantummodo se praestent. Philosophi autem, Graecorum cum dialectica intuitus in deum doctrinam copulantes, ad beatitudinem nitebantur insano allegorici sensus quaerendi studio et perobscuris disputationibus de divinitate eiusque emanationibus [1]). Quid? Summopere sophistae illi celebrabantur qui, minime ut posteritati nomen traderent in studia incumbentes, orationum elegantia laudes tantum auditorum sibi quaererent; nec aliter illa aetate fieri poterat, qua, cum omnia publica vel religiosa fluerent, literae non ad animos extollendos excitandosque, sed ad vitae desidiosae sterilisque taedium depellendum colerentur.

Sed hoc argumentum non tanti est quanti prima specie videtur: nam literis declinantibus vel ferme ad interitum properantibus neminem exsistere posse posterorum laudibus dignum adfirmandum non est; ut si quis hoc tantummodo Galilaeum nostrum celeberrima illa non exarasse de maximis systematis putaret, quod saeculo bonis literis tam infesto vixisset. Insuper, quum Galilaeianae disputationes perfecta orationis exempla iure habeantur, libellus Π. ὕ., verborum passim tumore, nonnullisque magis acute quam recte dictis [2]), indolem Aurelianei saeculi illiusque ventosae et loquacis eloquentiae colorem manifestat. Ad sensus elatos praeclarasque sententias quod attinet, mirandum quidem est haec cogitata et dicta illis

[1]) De Plotino ceterisque illius aetatis philosophis quae senserit Long. vide in Porphyrii *V. Plot.* Prooem. libri **Π.** τέλους.

[2]) Cfr. ex. gr. **Π.** ὕ. c. IX de equorum saltu, c. X de particula in descriptione homerica aliaque nonnulla. Etiam doctissimus ille vir F. A. Wolfius (*De Dav. Ruhnkenii celebri quodam reperto literario,* in Literar. Analek.; Berolini, 1820) in **Π.** ὕ. comm. magis III quam I saeculi post Chr. n. indolem expressam putat

temporibus; sed si quis neget, nescio cur idem negare non possit Longinum, virum tam celsa mente nobilique animo praeditum planeque dignum qui *περὶ ὕψους* scripsisset, *ἐν τῇ τοσαύτῃ λοιμικῇ τοῦ βίου διαφθορᾷ* [1]) aetatem degisse. Praeterea, quod maius est, auctor ipse commentarii nostri se corruptorum hominum grege scriptorumque turba servili circumdari declarat [2]).

10. — Caecilius, addunt adversarii, in quem scripsit noster, rhetor Calactianus fuit [3]), Romae eloquentiam Augusti temporibus docuit et Dionysio Halicarnassensi familiarissime usus est; quumque plurima scripsisset, in hisque librum *περὶ ὕψους*, tamen non magnum assecutus est nomen; quae cum ita sint « qui fieri potuit ut Longinus, in longe dissitis Roma regionibus, post duo vel tria saecula, illius opus retractandum susciperet? » eoque magis quod verba *ἀνασκοπουμένοις ἡμῖν* [4]) interpretanda sint: « - propositum (Caecilii librum) nuper in pilis librariorum inspicientes -. Nam fieri tum debebat, artis typograficae defectu, ut docti omnes ad librarium illum, qui novum librum proponebat, avidissime concurrerent [5]) ».

Quod ad Caecilium pene pueriliter illa nobis dicta videntur; nam, ut missum faciam existimationis satis ei apud rhetores aetate posteriores fuisse, ut etiam post Longinum commemoraretur [6]), quid mirum scriptorem de rebus iam multo

---

[1]) Π. ὕ. c. XLIV.

[2]) Praeter locum, quem supra citavimus, cfr. in eodem capite quae philosophus quidam eiusdem aetatis deplorans inducitur; interque multa haec: οὐδὲν ὅτι μὴ κόλακες ἐκβαίνομεν μεγαλοφυεῖς.

[3]) Ἀπὸ Καλῆς Ἀκτῆς, quam constat Siciliae urbem fuisse.

[4]) Π. ὕ., c. I.

[5]) Amatius, l. c.

[6]) Caecilii est mentio apud Dionysium Halic. in Epist. ad Cn. Pompeium; Plutarchum in Cic. et V. X rhetorum; Quintilianum III, 1; IX, 3; Athenaeum VI, IX; Photium, Suidam aliosque — Omnia eius opera desiderantur.

ante ab aliis tractatis disputare, cum in commentariis de Arte poetica tam diu hodieque eadem praecepta repetita sint quae iam Aristoteles dedisset? Tum vero mirandum esset, cum qui primus rem exposuisset tanta sententiarum verborumque excellentia usus esset, ut nemo se meliora vel ferme nova dicere posse confideret. Sed contra auctor noster ab ipso initio, quamvis Caecilium diligentia laudandum putet, τῆς....σπουδῆς ἄξιον ἐπαινεῖν [1]), tamen eius opus adfirmat esse «magis tenue quam quod res omnis proposita postularet, praecipueque minime opportuna attingens, nec multum utilitatis lectoribus afferens [2])». Verba autem ἀνασκοπουμένοις ἡμῖν mea sententia *nobis perlegentibus* vel huiusmodi locutione interpretanda sunt, cum nemo de opere tantummodo in libraria taberna inspecto statim (est enim ἀνασκοπουμένοις participium praesens) sed solum eo diligenter examinato, iudicium proferre possit; atque haec praesertim significatio graeco ἀνασκοπῶ subiicitur. Quare, ut paucis superiora comprehendam, improbabile videri non debet tertio post Chr. n. saeculo rhetorem graecum, cum Caecilianum librum legisset, eiusque, una cum Postumio Terentiano familiari, vitia animadvertisset, huius adhortationibus impulsum, aliquid perfectius lectoribusque utilius, eo magis quod nullus alius, ut videtur, de eodem argumento commentarius esset, scribendum sibi proposuisse, omnibus praetermissis quae bene a Caecilio tractata essent [3]).

---

[1]) Π. ὕ, c. I.

[2]) Π. ὕ. c. I; en tibi locus integer: Τὸ μὲν τοῦ Καικιλίου συγγραμμάτιον, ὃ περὶ ὕψους συνετάξατο, ἀνασκοπουμένοις ἡμῖν, ὡς οἶσθα, κοινῇ, Ποστύμιε Τερεντιανὲ φίλτατε, ταπεινότερον ἐφάνη τῆς ὅλης ὑποθέσεως, καὶ ἥκιστα τῶν καιρίων ἐξαπτόμενον, οὐ πολλήν τε ὠφέλειαν.... περιποιοῦν τοῖς ἐντυγχάνουσιν. — Cfr. insuper quae de Caecilio dicuntur in c. XXX et XXXI.

[3]) Hoc consilium etiam ex illis apparet quae in c. IV comm. Π. ὕ. de Timaeo dicuntur eiusque loquendi genere, quod nimio novarum sententiarum studio παιδαριωδέστατον plane videatur: Παραθήσομαι δὲ τ' ἀνδρὸς ἓν, ἢ δύο ἐπειδὴ τὰ πλείω προέλαβεν ὁ Καικίλιος.

11. — Addunt inter plures scriptores, quos auctor libri Π. ὕ. citat, nullum saeculo primo Theodoroque Gadareo [1]) posteriorem inveniri [2]); et huius rhetoris nulla apposita appellatione nominisque *parenthyrsi* mentio, quod ipse genus quoddam vitiosum dicendi designaret [3]), de homine sermonem esse omnibus noto, qui paulo ante vixisset, vel auctoris nostri magister fuisset [4]), multorum sententia demonstrat.

Quae vero hac animadversione infirmantur, nostrum, cum veterum tantum scriptorum auctoritate sua praecepta confirmet, etiam in vitiis orationis arguendis eorundem exemplis uti voluisse. Ceterum libri deest secunda pars, eumque sex magnae lacunae deturpant [5]); quae cum ita se habeant, quis adfirmare possit alicuius Theodoro posterioris scriptoris in reliquis quae desiderantur mentionem non fuisse? Ad illud autem ἐκάλει quod attinet, praeterquam quod ea citandi est ratio rhetoribus graecis communis, forte hoc noster praeteritum imperfectum

---

[1]) Theodorus rhetor, quem noster citat (Π. ὕ. c. III) idem esse videtur qui, Gadaris servili genere natus, etiam Rhodius, quod Rhodi docuisset, appellatus est; ibique Tiberium Caesarem auditorem habuit, quem πηλὸν αἵματι πεφυρμένον vocabat. Romae deinde rhetoricam professus est, obiitque Hadriano imperante. Vide Suetonium in *Tib.* c. 57, Quintilianum II, 11; III, 1, 3, 6, 11; IV, 2; Suidam v. Θεόδωρος, aliosque.

[2]) De Ammonio in c. XIII memorato veterum censorum ambiguitatem F. A. Wolfius (*De D. Ruhnk. quod rep. lit.*, Berol., 1820) obstare putabat, quominus de libello Π. ὕ. controversia resolveretur. Sed illam doctissimis argumentis Theoph. Roeperus diremit confirmans hunc Ammonium non Saccam, Longini magistrum, sed Alexandrinum, Aristarchi discipulum, esse: huius enimvero memorant Veneta Scholia in Iliadem opus περὶ τῶν ὑπὸ Πλάτωνος μετενηνεγμένων ἐξ Ὁμήρου, ad quod auctoris nostri sermo referri videtur.

[3]) Π. ὕ., c. III: Τούτῳ παράκειται τρίτον τι κακίας εἶδος ἐν τοῖς παθητικοῖς, ὅπερ ὁ Θεόδωρος παρένθυρσον ἐκάλει · ἔστι δὲ πάθος ἄκαιρον καὶ κενὸν, ἔνθα μὴ δεῖ πάθους ἢ ἄμετρον, ἔνθα μετρίου δεῖ. l. c.

[4]) Hanc opinionem protulit ex. gr. Martensius.

[5]) Vide supra, pag. 17-22: codex ms. paris. solum viginti constat foliis, quum comm. integer quinquaginta replevisset.

adhibuisse videtur, quod significare voluisset illo *parenthyrsi* nomine Theodorum, in scribendo [1]) vel in docendo, frequenter usum esse; quem sine appellatione citaverit, quod notus clarusque esset in scholis tum suis praeceptis, tum controversia quam cum Apollodoro habuisset.

12. — Nonnulli sunt praeterea qui censeant hoc praesertim argumento librum Π. ὕ. saeculo augusteo adsignandum esse, quod multae sententiae locutionesque illi sint cum huius aetatis rhetoribus, in primisque cum Quintiliano, communes [2]).

Sed haec sententiarum verborumque similitudo minime obstat, quominus liber noster Longinianis temporibus vindicari possit; illud enim tantum confirmat quod neminem fugiat, eadem in scholis praecepta immutata diu viguisse. Ceterum illa, omnibus [3]) vel saltem rhetoribus [4]) communia, et a nostrae aetatis scriptoribus iisdem fere verbis exponantur; eademque

---

[1]) Multa enim scripsit, quae omnia desiderantur; ex gr. Περὶ ῥήτορος δυνάμεως, De facultate rhetorica.

[2]) Cfr. α) Π. ὕ., c. III et IV de puerili et frigido dicendi genere; - c. V de nimis ornata oratione; - Cic. et Demosth. comparationem in c. XII; - c. XIII de Platone et Aeschylo; - c. XV de nimis frequentibus apud oratores imaginibus; - c. XXVI de mutatione personarum; - comparationes demum, alia minoris ponderis ut omittam, in c. XXX et XXXIX, cum Quintiliani *Instit. Or.* VIII Prooem,; - VIII. 3; X, 1; - *id.*; - IX, 2; - IX, 3; - VI, 1, I, 10, IX, 4;

β) Π. ὕ. c. XLIV, quaestionem cur illa esset optimorum oratorum penuria, - cum Cic. *Quaest. Tusc.* II, 2; Vell. Pat. *Hist.* I, 17; M. Senecae praefat. ad l. I *Controv.;* Plinii Ma. praefat. ad l. XIV *Hist. Nat.;* Plinii Min. *Epist.* VIII; Petronii *Satyr.* I; *De oratoribus* c. XXVIII, XXIX, XXXVI;

γ) Π. ὕ., c. XXXIII, num magnitudo cum peccatis nonnullis mediocritati sine ullo errore praestet, - cum Plinii Min. *Epist.* IX, et Quintil. II, 11; VIII, 6; X, 1.

[3]) Vide adnot. super. praesertim β).

[4]) Vide omnia quae in eadem adnot. recensentur. Quid? Orellius, quod nemini sane mirum videbitur, multa animadvertit libro Π. ὕ. et Horatii *Arti Poet.* communia (Cfr. *A.p.* v. 31, 309, 310, 347 et seq. - cum Π. ὕ. c. XXXIII, VIII, IV, XXXVI).

ad summum in hanc inducant opinionem, libelli Π. ὕ. auctorem latinarum literarum peritum fuisse [1]) et nonnulla a romanis scriptoribus mutuatum esse, quamquam potius existimandum videtur ab iisdem, quibus usi sint illi, rhetoribus, quorum nulla exstent opera nobis, aliquid sumpsisse.

13. — Illa demum adfirmant nobilissima philosophi verba [2]), qui amissam libertatem corruptosque mores, unde ea oratorum penuria orta esset, querens inducitur, primis imperii temporibus, quibus reipublicae memoria libertatisque desiderium vigeret, convenire, plane a Longini aetate, qua, illa iam evanescente, hoc nullum ferme esset, aliena videri. Praeterea, addunt, quid de illa pace, quam noster, respondens, toto orbe regnare ait? «Haeccine ad Aureliani aevum, quo tot bella, in oriente praesertim? [3]) ».

Sed, ut primum firmaretur argumentum, illis qui haec opposuerunt scriptoribus illud demonstrandum erat, primis imperii temporibus, cum, post tot bella civilia, pax otiumque tanti fuissent, ut ceterorum species bonorum voluntaria oblivione civium in animis exstinguerentur, magis quam aevo posteriori, cum imperii experirentur nec libertatis expertae essent damna praesertim provinciae, unius dominatum odio habitum esse. Sed de hac insigni quaestione planius meliusque alii; nobis vero sat est in hanc etiam adversarios concurrere sen-

---

[1]) Quod etiam ex loco ubi de Cic. cum Demosth. comparato loquitur (in c. XII) argumentari possumus (minime locutione obstante λέγω δὲ καὶ εἰ ἡμῖν ὡς Ἕλλησιν ἐφεῖταί τι γινώσκειν). Longinum autem linguam latinam calluisse Suidae illud nobis demonstrat in quo nominis *januarii* origo, ab illo perperam ducta, legitur: Αἰωνοάριος ὁ Ἰανουάριος μήν· οὕτω Λογγῖνος αὐτὸν ἑρμηνεῦσαι βιάζεται, ὡσανεὶ (sic) *αἰῶνος πατέρα*: — cum quo Tzetzes in *Posthom.*, 75, convenit: Τὸν ῥ' Αἰωνοάριον κικλήσκει μὲν Λ., κτλ.

[2]) Π. ὕ.. c. XLIV; praesertim haec: Οἱ δὲ νῦν ἐοίκαμεν .... παιδομαθεῖς εἶναι δουλείας δικαίας .... ἄγευστοι καλλίστου καὶ γονιμωτάτου λόγων νάματος· τὴν ἐλευθερίαν .... λέγω.

[3]) Amatius, l. c.

tentiam, – quis enim neget? – nunquam, vel ultimis Romae temporibus, libertatis cultum a viris in antiquorum scriptorum studio versatis, – versatissimum haud dubie noster se praestat, – neglectum esse.

De pace autem, cuius in eodem capite est mentio, hoc mihi in falsam censores opinionem deducti videntur, quod ex aliquot tantum verbis, a ceteris summaque disputationis disiunctis, argumentari voluerint. Enimvero, cum philosophus quidam adfirmavisset libertatem in primis ad magnorum animorum spiritus alendos, – *θρέψαι.....τὰ φρονήματα τῶν μεγαλοφρόνων*, – aptam esse, et ob proposita in rebus publicis administrandis praemia, – *διὰ τὰ προκείμενα ἐν ταῖς πολιτείαις ἔπαθλα*, – oratoris virtutes clarescere et effulgere; in servitute contra ingenia languescere, neminemque servum unquam exstitisse oratorem, – *δοῦλον δὲ μηδένα γίνεσθαι ῥήτορα*; – cumque idcirco statuisset servitutem declinatae eloquentiae causam fuisse; respondens auctor: – Non solum, – ait, – *ἡ τῆς οἰκουμένης εἰρήνη*, quam tu dicis, verum etiam multoque magis hoc cupiditatum nostrarum perpetuum bellum, – *ὁ κατέχων ἡμῶν τὰς ἐπιθυμίας ἀπεριόριστος οὑτοσὶ πόλεμος*, – ingenia debilitat [1]). Ex quo colligitur *τῆς οἰκουμένης εἰρήνην* idem quod *δουλεία δικαία*, a philosopho usurpata [2]) (est enim tantummodo locutio mitior ex hoc profecta, quod auctor *εἰρήνην* opponere *πολέμῳ* voluerit), idest *πολιτείας* contrarium, cui philosophus ille studeret, significare. Haec servorum pax bellis externis minime obturbabatur, quorum multa Romani cum aetate quae a Decio ad Aurelianum (249–270) decurrit, tum primis imperii tempo-

---

[1]) Locus integer, secundum emendat. L. Spengelii, quam O. Iahnus et I. Vahlen secuti sunt, sic se habet: *ὅρα δέ, μήποτε οὐχὶ ἡ τῆς οἰκουμένης εἰρήνη διαφθείρῃ τὰς μεγάλας φύσεις, πολὺ δὲ μᾶλλον ὁ κατέχων ἡμῶν τὰς ἐπιθυμίας ἀπεριόριστος οὑτοσὶ πόλεμος κτλ.* Ceterum non multum sensus immutatur si lectio praeferatur: *μή ποτ᾽ ἄρα ἡ τῆς οἰκουμένην εἰρήνη διαφθείρει κτλ.*

[2]) Vide pag. 29 adn. 2.

ribus gesserunt; sed non haec bella noster eloquentiam alere affirmare poterat, verum civiles contentiones, quibus Alexander Athenis, Augustus Romæ finem fecerant.

III.

14. — His aliisque argumentis [1]) freti, quae quanti habenda sint supra perpendimus, cum libellum Π. ὕ tertio post Chr. n. saeculo adsignari non posse confiderent se demonstravisse, ultro nonnulli procedentes, illius auctorem indagare voluerunt, primusque Amatius [2]) Dionysium Halicarnassensem fuisse contendit.

15. — Iam superiori saeculo Fridericus quidam Rostgaardus [3]) in exemplaris editionis Tollianae margine, quod Lipsiensis universitatis in bibliotheca servatur, adnotaverat in cod. parisiensi n. 2036 signato [4]) praeter inscriptionem in fronte

[1]) Deductis ex Hermogenis III saeculo celebri doctrina nequaquam memorata, ex iudicio a Io. Siceliota de Longino lato, et ex Genesis principio in c. IX citato; de quibus nobis alibi erit sermo: v. pag. 39-40 et 43-46.

[2]) In Epist. cit. ad B. Weiskium.

[3]) De quo sic B. Weiskius suae edit. (Lipsiae, 1809) in praefat.: «Fuit illud editionis Tollianae exemplum, ut in catalogo illius bibliothecae notatum est, Friderici a Rostgaard, eius, ut opinor, qui apud regem Daniae tabulario praefectus meruit, et qui, ut res docet, per aliquod etiam tempus vixit Lutetiae. Hoc certe in catalogo additum est, ab ipsius esse manu, quae adscripta in illo exemplo leguntur».

[4]) Libri Π. ὕ, Codices mss. quibus magis auctoritatis est tribuendum sunt, praeter Parisinos, in primisque n. 2036 notatum, vetustissimum praestantissimumque omnium saec. X tribuendum: tres Vaticani, quorum n. 285 signatus, saec. XV, optimus, quamquam imperfectus; Venetus; Cantabrigiensis, vel, ut a Pearcio appellatur liensis; Ambrosianus; Laurentianus; Dudithianus, quem vocat Langbaenius Iunianum.

† ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΛΟΓΓΙΝΟΥ περὶ ΥΨΟΥΣ †, eadem manu scriptum in tergo, post indicem XXXVII Aristoteleorum problematum quae praemissa leguntur, titulum esse † ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ Η ΛΟΓΓΙΝΟΥ Π ΥΨΟΥΣ †; pondus tamen particulæ ἢ nequaquam tribuens; – sed a. MDCCCVIII Hieronymus Amatius, haec ignorans, cum Vaticanae bibliothecae cod. n. 285 signatum Διονυσίου ἢ Λογγίνου περὶ ὕψους inscriptum esse animadvertisset, statim haec inter alia B. Weiskio, tum ad novam commentarii editionem illustrandam praesidia undique conquirenti, scripsit: « Mirum quidem, veteres exscriptores omnes, neglecto illo ἢ, monstrum horrendum procreasse illud Διονυσίου Λογγίνου .... Quis enim, rationis nominum apud veteres peritus, Graecum ferat, gemino nomine proprio, vel personali, ut aiunt, insignem [1]) ...? Quum ergo Longinus nunquam fuerit Dionysius; quis iste Dionysius, quaerendum est, cui, dubius tamen, antiquus criticus adsignavit illa epigraphe Διονυσίου ἢ Λογγίνου. Hic, ut ego puto, vetustiorem codicem vel codicis lacinias invenerat, in quibus nomen auctoris praescriptum non erat, vel, ut fit, tempore evanuerat. Hinc, quum sciret, et Dionysium, magnum illum Halicarnassensem, et Longinum sequiori saeculo similia tractasse de rhetorica ... inter duos alternus haesit. » Quibus Amatii verbis nonnulli postea addiderunt amanuensis ignorantiam inscriptione confirmatam videri cod. Laurentiani: Ἀνωνύμου περὶ ὕψους; sed perperam, nam, ut iam Eggerus [2]) notavit, illa in fronte tantummodo

---

[1]) Hoc nobis cum Amatio constat, quamvis exempla contraria non desint; et illos erravisse putamus qui et nostro saeculo in illa falsa de nomine Longino cum Dionysio coniungendo sententia constiterint; inter quos fuerunt Knox (in *Remarks on the supposed D. L.;* Londini, 1826), Tipaldus (in prooem. suae vers.; Venetiis, 1834), Spongbergus (*De comm. D. Cassii Long. π. ὕ. expositio;* Upsalae, 1833–35), Francus (*Utrum D. L. adscribendus sit l. qui π. ὕ. inscr.;* Gratianop., 1862); – sed in conclusione omnino ab illo dissentimus.

[2]) In sua edit.; Parisiis, 1837.

est, cum in primae paginae parte summa ab Holstenio descripta verba Λογγίνου περὶ ὕψους λόγου legantur ad novum supponendum titulum in veteris locum, cuius, a librario glutinatore resecti, adhuc nomen Λογγίνου manet.

Sed ad Amatium revertamus, qui sic illud quod obiici ei potuisset, occupavit: « Non amplius quis opponat, illud ἢ explicari debere pro ea coniunctione, quam in multinominibus veteres adhibebant, ut sit Dionysius qui et Longinus. Nam haec apud Graecos in recto semper fuit ὃς καί, et in obliquo τοῦ καί. » His praemissis ad conclusionem iam pergit, adfirmans librum Π. ὕ. nec Longino [1]) nec eius aetatis cuiquam [2]) adscribi posse, sed saeculi augustei scriptori, qui haud dubie Dionysius Halicarnassensis fuerit, tum quod codex ille fronti inscriptum eius nomen habeat, tum quod auctor se duos libros de collocatione verborum exarasse memoret, quorum alter inter Halicarnassei opera rhetorica supersit. Ceterum, pergit, « ipse stylus, ac modus loquendi grandis, virilis, castigatissimus, longe ab illo remotus sophistico et fracto, qui aevo Aurelianeo vigebat, pusillanimem criticum impellere debebat, ut Dionysio Augusteo opus hoc indubitanter adsereret. »

Sed nimis expedite Amatius in animum suum induxit omnino scriptoris nostri et Halicarnassensis libros stylo similes esse [3]); omnibus enim, qui de utriusque scriptis cognoscant, erit facile persuasum non modo hunc, ceteros rhetores dicendi praeceptis antecedentem, longe ab auctore nostro elegantia

---

[1]) Etiam quod Suidas, v. Λογγῖνος Κάσσιος, inter multa huius rhetoris opera librum Π. ὕ. non commemoret; sed de hoc vide pag. 38.

[2]) Praesertim quod sit liber praestantior elegantia orationis sententiarumque nobilitate; in eoque cum ἡ τῆς οἰκουμένης εἰρήνη memoretur, tum nulla inveniatur scriptorum aevo augusteo posteriorum mentio: de quibus omnibus argumentis suo loco iam diximus; v. supra pag. 23 et seq.

[3]) Vide sis de hoc N. Morum in prooem. suae edit., Lipsiae, 1769; et Th. Ernestium in praefat. *Lex. technologiae Graec. rhetoricae*, Lipsiae, 1795.

roboreque orationis superari, sed etiam locutiones atque de scriptoribus, ut Platone et Thucydide, Lysia et Isocrate, iudicia multo inter se differre.

Reliqua vel minoris facienda, quae protulit Amatius; nam, cum noster se ἐν δυσὶν....συντάγμασιν disseruisse affirmet de τῶν λόγων compositione [1]), Dionysius unum librum περὶ συνθέσεως ὀνομάτων exaravit, eumque Rufo mittens, περὶ τῆς ἐκλογῆς ὀνομάτων commentarium se scriptu rum promittit [2]); nec constat inter eius opera περὶ Ξενοφῶντος libros fuisse, de quibus in libello Π. ὕ. est mentio [3]).

Accedit quod Dionysius commentario περὶ συνθ. ὀνομ. ultimis annis, ut ipsius utar verbis, πολιᾶς κατηρυμένης ἡλικίας operam dedit; et vix credibile videtur eum de sublimitate nobilissima illa nervisque iuvenilibus plena postea scripsisse [4]).

Ceterum, ut alia nonnulla omittam [5]) hoc supervacanea, quod apud viros doctos Amatii sententia non valuerit, Theodori Gadareni mentio [6]), vel si cetera obiicenda non essent, qui aetate Dionysio posteriori artem rhetoricam professus est, obstat quominus tum Amatii tum illorum omnium, qui librum

---

[1]) Π. ὕ., c. XXXIV: ἡμῖν λείπεται .... ἡ διὰ τῶν λόγων αὐτὴ ποιὰ σύνθεσις· ὑπὲρ ἧς ἐν δυσὶν ἀποχρώντως ἀποδεδωκότες συντ. κτλ.

[2]) Περὶ συνθ. ὀνομ. c. I.

[3]) Π. ὕ., c. VIII: ὡς κἀν τοῖς περὶ Ξενοφῶντος ὡριζάμεθα.

[4]) « In medio fere aetatis flore auctorem constitutum fuisse, cum hunc π. ὕ. librum scriberet, integris certe vegetisque adhuc mentis viribus usum esse, multa declarant. Nam iuniorem tum fuisse, vix credibile est, cum iam plura edidisset.., Neque vero senectuti fuisse propinquum, docet admirabilis vigor et vis dicendi per totum librum aequabiliter se efferens, nulloque loco ad languorem delapsa ». Ita B. Weiskius in dissert. suae edit. praemissa.

[5]) Quomodo ex. gr., si quis adhuc Amatii sectator esset, hoc explicare posset, Dionysium Halic. tam acerba contra Caecilium familiarissimum scripsisse?

[6]) V. pag. 27.

Π. ὕ. augusteis temporibus adserendum putent [1], sententia probabilis videatur.

16. — Cum fere nemo, ut supra dixi, Dionysium Halicarnassensem libri nostri auctorem habendum putavisset, duplex supererat adversariis controversiae solvendae ratio; poterant enim investigare num alius esset nomine Dionysius [2] scriptor aetate Traiano posterior, qui auctor commentarii exstitisse videretur; aut nullam cod. Parisini aliorumque inscriptioni auctoritatem tribuentes, eum alicui rhetori graeco primi vel secundi ineuntis saeculi post Chr. n., nomen negligentes, adiudicare.

17. — Primam ingressi viam, B. Weiskius [3] proposuit Dionysium Pergamenum [4], Frid. Schoellius [5] vero prætulit Milesium [6]; Aem. Eggerus [7] Aelio Dionysio Halicarnassensi iuniori [8] favere maluit; alii demum Dionysii Alexandrini [9] fautores se praestiterunt.

At cum horum nemo firmis argumentis suam sententiam patrocinatus sit [10]), tum multa ad omnes reiiciendos rhetores,

---

[1]) V. pag. 23, n. 1; insuper pag. 37.

[2]) Plusquam quadraginta claros Dionysios memorat Meursius.

[3]) In sua edit.; Lipsiae, 1809.

[4]) Floruit Hadriano imperante; a Strabone XIII, 4 et a Quint. III, 1, laudatur.

[5]) *Histoire abrégée de la litt. grecque;* Parisiis, 1823-25.

[6]) Vixit Hadriano imperante; a Suida, v. Διονύσιος, et a Philostrato, in *Vitis Sophist.* I, 22, laudatur.

[7]) In sua edit.; Parisiis, 1837.

[8]) Vixit et hic sub Hadriano; laudatur a Photio in *Biblioth.*, cod. CLII.

[9]) Quem Suidas, v. Διονύσιος, vixisse affirmat usque ad Traianum.

[10]) Ex. gr., his Weiskius, l. c.: « Huic ego Pergameno Dionysio, *ut minus noto scriptori,* malim quam illi, librum π. ὕ. assignare ». Quae quam parvi sint nemo est, quin videat, ipseque cum intellexisset, haec addidit: « Ego quidem iudicia virorum doctorum exspectans nullum iam certum auctorem pono, sed primam illam Amatii sententiam amplector: librario nempe docto vetustum codicem obtigisse, cui nomen auctoris non fuerit praescriptum, eundemque e sua coniectura sic inscripsisse: Διονυσίου ἢ Λογγίνου ».

quos supra commemoravimus, proferri possunt. Nobis tamen, cum minimae probatae opinionis longa confutatione opus non sit, haec animadvertere satis erit, Dionysium Pergamenum, illius Apollodori discipulum, qui aemulus Romae Theodori Gadareni fuisset, minime nomen παρένθυρσον, de quo supra [1]), ab adversariorum principe inventum, usurpare potuisse; – Dionysium Milesium ut oratorem, non ut rhetorem a Suida et Philostrato [2]) laudari; – Aelii Dionysii Halicarnassei iunioris in Photio [3]) mentionem esse ut lexicographi et rerum musicarum scriptoris; duosque libellos, qui eius de grammaticis exstent, nullum facere indicium eum de Sublimitate scripsisse; – demum Dionysium Alexandrinum grammaticum Stoicorum doctrinam professum esse, cum passim commentarii Π. ὕ. auctor platonicum philosophum se praebeat.

18. — Alteram ingressus est viam Aloysius Vaucherus [4]) affirmans librum Π. ὕ. Plutarchi opus habendum, qui cum de rhetoricis multa scripsisset [5]) tum, et aliorum auctoritate, « non tantum verbis, dictionibus, figuris, sed toto orationis habitu, doctrina etiam, ingenio, voluntate, » magnam cum nostro similitudinem habeat [6]); – in catalogo autem, qui falso a Lampria filio confectus esse putatur, libri Π. ὕ. nullam mentionem esse facile explicari posse, si consideretur veteres Plutarchum, magis quam rhetorem, historiarum scriptorem philosophumque habuisse; – ceterum, commentarium nostrum

---

[1]) V. pag. 27.

[2]) l. c.

[3]) l. c.

[4]) In prooemio suae edit. (*Études critiques sur le Traité du Sublime et sur les écrits de Longin*); Genevae, 1854.

[5]) Ex gr.: Ὁμηρικῶν μελετῶν βιβλία δ'; – Περὶ τῆς εἰς ἑκάτερον ἐπιχειρήσεως; – Περὶ ῥητορικῆς; – Εἰ ἀρητὴ ἡ ῥητορική; – Περὶ χαρακτήρων ecc. – V. Vaucheri l. c.

[6]) Quam, praeter Wittembachium, cuius sunt verba quae supra citavimus, iam animadverterant Toupius, Ruhnkenius aliique; – Vaucherus autem sua ex utroque scriptore collata addidit.

maioris alicuius operis [1]) partem putandum esse. Quare edere non dubitavit: – Πλουτάρχου τοῦ περὶ χαρακτήρων βιβλίου σύνταγμα τὸ περὶ ὕψους.

Cui obiici potest, multa licet sint, quod minime mirum, nostri et Plutarchi in libris similia, illud a vero longissime abesse, quod confidentius affirmet, Plutarchi operum commentariique Π. ὕ. eundem esse stilum. Quod si uterque scriptor se Platonicae disciplinae summopere studuisse demonstrat, eademque de multis hominibus atque de nonnullis ad artem rhetoricam pertinentibus rebus sentire, non pauca sunt de quibus plane dissimilia vel potius contraria iudicia tulerunt [2]); minimeque facile intellectu videtur, quomodo fieri potuisset in catalogo, qui Plutarcho plura, quam quae scripserit, tribuat, operum Περὶ Ξενοφῶντος, Περὶ συνθέσεως λόγων et praesertim huius Π. ὕ. commentarii, – qui ceterum non operis pars, sed opus integrum manifeste apparet [3]), – mentionem praetermissam fuisse.

IV.

19. — Ut has gravissimas difficultates effugerent, omnique se molestia solverent, nonnulli [4]) opinati sunt ignoto alicui primi vel secundi post Chr. n. saeculi scriptori librum Π. ὕ. tribuendum esse.

Sed si ignotum nobis tantum putent, controversiam effu-

---

[1]) Idest n. LXXXIV in catal. notati: *De formis dicendi* (Wittembachius).

[2]) Cfr. ex. gr. **Π.** ὕ. c. IV de Herodoti sententia, cum Plut. *V. Alex.*, c. 21; **Π.** ὕ. c. XII, de Cic. et Demosth. compar., cum Plut. *V. Demosth.*, c. 2-3.

[3]) V. pag. 46, [6]).

[4]) V. pag. 23, [1]).

giant, non diiudicent; sin veteribus, minime verisimile auctorem commentarii qui tanti est nec non illorum operum, quae in ipso memorantur, tam parvi factum esse, ut ne nomen quidem eius, rhetoribus saltem aequalibus vel aetate posterioribus, notum esset.

Ceterum, ad haec confugere solum liceret si, cum nemo primi vel secundi saeculi scriptorum defendi, ne tertio quidem saeculo scriptum fuisse libellum nostrum demonstrari potuisset; quam opinionem minime probandam iam ostendimus; quare necesse est confiteantur adversarii, vel si nihil aliud adiiciatur, Longinum, quem concordes veteres censores libri Π. ὕ. auctorem putaverunt, ceteris praeferendum esse.

Sed ut pro Longino nitamur, nonnulla ante omnia refutanda sunt contra eum prolata; quod difficile esse non videtur.

20. — Enimvero argumentum quod ex particula ἤ, Longini et Dionysii nominibus interposita, ducebatur, illis, quae supra diximus, omni gravitate destitutum est; nam si cod. Parisini aliorumque inscriptionem auctoritate minime valere putamus, quaestio eadem manet: si quis autem aliter sentiat, Longino vel invitus faveat: quum enim liber Π. ὕ, Dionysii Halicarnassensis opus esse nequeat, quumque nullus, praeter nostrum, sit Longinus rhetor [1]), cui ille adscribi possit, necesse est causa nobis tradatur.

21. — Nec magis hoc Longino adversari videtur, Suidam [2]), inter eius quae recensuit opera, nullam libelli Π. ὕ. mentionem fecisse, quem tamen « pro argumenti ac stili dignitate, prae ceteris laudare debuisset [3]); » cum nemo sit quin sciat in lexico illo multa errata inesse, multaque desiderari, cumque

---

[1]) Nonnulli apud veteres Longini memorantur, qui minime ad nos; ceterum, inscriptionem illam spectare Cassium Longinum ipsi adversarii concordes putant.

[2]) V. Λογγῖνος Κάσσιος.

[3]) Amatius, l. c.

praeterea Longinianorum operum recensio verbis conficiatur *καὶ ἄλλα πολλά.*

22. — Addunt Joannem Siceliotam [1], Hermogenis interpretem, Longinum ut acutum criticum rhetoremque laudare, sed ei dicendi facultatem non concedere; a cuius indicio non multum Porphyrium [2], qui eum *κριτικώτατον* putet, Eunapium [3], Photium [4], Suidam [5], aliosque abesse, eius praeterea nomen pro critico usurpatum fuisse ita, ut *κατὰ Λογγῖνον κρίνειν* idem ac « recte iudicare » significaret [6].

Haec omnia vera, sed perperam vel potius subdole interpretata: nemo enim, qui recensionem illam in Suida percurrat, criticum habitum esse Longinum mirabitur, praesertim cum sciat eum inter multa huiusmodi opera, libros qui Οἱ φιλόλογοι vel potius Αἱ φιλόλογοι ὁμιλίαι [7] inscribuntur edidisse;

---

[1]) Qui vixit saec. XIII, vel fortasse XIV post Chr. n.; haec habet in schol. ad Hermog., περὶ ἰδεῶν, α': ἄριστος (Λογγῖνος) ἐπιμερίσαι λόγων ἰδέας, δημιουργῆσαι δὲ τοιούτους ἥκιστα, καὶ Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασσεὺς καὶ Σμυρναῖος ὁ Ἀριστείδης περὶ ἰδεῶν τε καὶ τέχνης γράψαντες, βάτα χάρας ἡ παροιμία φησί · et paucis interiectis idem: ὁ μὲν γάρ Λογγῖνος περὶ τὸ διδάσκειν, μόνον ἐνασχολούμενος καὶ περὶ τὸ διδάσκειν τελείας ὑποθέσεις οὐκ ἔχων καιρόν, τὸ τῆς Ὁμήρου πέπονθεν ὄρνιθος, λιμώττουσαν τοὺς νεοττοὺς τρέφειν.

[2]) In *Vita Plotini.*

[3]) In V. *Porphyrii*: γραμματικῆς τε εἰς ἄκρον ἁπάσης ὥσπερ ἐκεῖνος, ἀφικόμενος (Πορφύριος) καὶ ῥητορικῆς... Insuper: Λογγῖνος δὲ κατὰ τὸν χρόνον ἐκεῖνον βιβλιοθήκη τις ἦν ἔμψυχος, καὶ περιπατοῦν μουσεῖον, καὶ κρίνειν γε τοὺς παλαιοὺς ἐπετέτακτο.... καὶ εἴ τις κατέγνω τινὸς τῶν παλαιῶν, οὐ τὸ δοξασθὲν ἐκράτει πρότερον, ἀλλ' ἡ Λογγίνου ἐκράτει κρίσις.

[4]) In *Biblioth.* cod. CCLIX.

[5]) V. Λογγ. Κασσ. et Φρόντων.

[6]) Ex gr. in Theophylacti Archiep. Bulgariae Ep. XVII: μὴ καὶ δόξης τισὶν αὐτός γε οὐ κατὰ Λογγῖνον κρίνειν.

[7]) Titulus: Οἱ φιλόλογοι ex Jo. Sicel. in Hermog. Comm. (v. pag. 46, [6])) ex Aristidis interprete et ex auct. *Vitae Apoll. Rhod.* ducitur; sed censores nonnulli (Bastius, Weiskius, Eggerus) anonymi scholio freti (quod ex cod. paris, n. 1983 C. Walzius in *Rh. gr.* v. VII edidit), titulum praeferunt Αἱ φιλ. ὁμιλίαι.

sed et philosophum, quamquam adversarii philosophia eum caruisse ausi sunt adfirmare [1]), veteres, ut Suidas [2]) et Vopiscus [3]), vocaverunt; itemque Longini in Hephaestionem commentarius [4]) inscribitur: Ἐκ τοῦ Λογγίνου φιλοσόφου σχόλια κτλ; codex autem vaticanus [5]): Λεξικόν.... Λογγίνου φιλοσόφου καὶ ἑτέρων λεξιγράφων, quod pluris est, quippe cum Longinus in fronte libri qui minime ad philosophiam spectet, philosophus vocetur; — idemque, cum ad hanc disciplinam, tum ad locutionis artificium et elegantiam, ut in Platone explanando [6]), ingenium adhibuit. Ceterum, contra Io. Siceliotae sententiam, Longinum in Odaenathum λόγον composuisse constat; quare quis neget eum diserte de rebus rhetoricis scribere potuisse?

23. — Nec quominus haec opinio valeat illa quae eius supersunt obstant fragmenta rhetorica [7]). Nam, ut praetermittam tam haec corrupta et foedata esse, ut doctissimi acutissimique viri de restitutione plane desperaverint, ipsum operum argumentum scribendi genus demissum poscebat; liber contra Π. ὕ., quippe qui maiora tractet, elatum; sed praesertim ex hoc styli distantia est profecta, quod illa ἐγχειρίδια discipulis scripta sint, hic vero, ut auctor ipse declarat, viro literarum tam

---

[1]) Ut Piotinus, qui eum philologum vocabat, philosophum vero nequaquam (ex Porphyrii *V. Plot.*). «Ita cum Longinus philosophiae severitatem exquisitioris doctrinae suavitate temperarit, quid miramur, si, qui se res, non verba sectari iactarent, parum magnifice de illo senserint?... Sed huius iudicii iniquitas unde profecta sit, non est difficile intelligere. Urebat haud dubie hominem, suam de Ideis sententiam, quam discipuli, ut fit, laudibus in coelum ferrent, idoneis rationibus a Longino oppugnari. Huc adde barbarae et spinis metaphysicis horridae sapientiae nunquam bene convenire cum elegante et diserta». Ita Ruhnkenius in diss. cit.

[2]) V. Λογγῖνος.

[3]) In *Aurel.* 30.

[4]) V. pag. 15 adnot. § III, 21.

[5]) V. pag. 15 adnot. § III. 23.

[6]) V. Procli *Comm. in Plat. Timaeum*, I, et Porphyrii l. c.

[7]) V. pag. 14 Longinian. op. recensionem *c*) *f*) *g*).

perito, ut non modo dicendi praecepta non ignoraret, sed vel alios posset docere [1]).

24. — Addunt etiam adversarii in libro Π. ὕ. de nonnullis scriptoribus aliter iudicari atque in Longini Arte rhetorica; nam in illo quum Isocrates Lysiasque acerbe reprehendantur, non semper Herodotus et Demosthenes probentur, Thucydides contra et Plato summis laudibus afferuntur [2]); in hac inter septem, qui imitandi proponuntur, auctores, Thucydidi nimia brevitas, Platoni nimia magnificentia obiicitur; ceteri autem, una cum Aeschyne philosopho, omni vitio immunes praedicantur.

Sed ante omnia argumentum ex fonte non certo illos petiisse [3]) est opponendum; deinde mirandum, quod ignorare vel potius non animadvertisse tam docti viri videantur eos scriptores in libello nostro ut sublimitatis magistros citari, in Arte rhetorica contra ut perfectae locutionis exempla (ideo de illis est sermo in capite περὶ λέξεως) [4]); ex quo facile explicetur

---

[1]) Π. ὕ.; c. I: Ταῦτα... οἶμαι καὶ τὰ παραπλήσια, Τερεντιανὲ ἥδιστε, κἂν αὐτὸς ἐκ πείρας ὑφηγήσαιο.

[2]) Π. ὕ.. praesertim de Isoerate c. IV et XXXVIII. de Lysia c. XXXV, de Herodoto c. IV et XXXIII, de Demosthene XIV, XXXIV et XXXVIII, de Thucydide XIV, XXII, XXV et XXXVIII, de Platone c. XIII, XIV et XXXII.

[3]) Videlicet ex *Epitome*, de qua vide adnot. pag. 18 *f*); locus autem, in c. XXI, sic se habet: ὁ ῥήτορ (Λογγῖνος) ἑπτὰ τίθησιν ἄνδρας κρατίστους διὰ πάσης ἀρετῆς, ὁπόσοι τὴν φράσιν ἡμῖν συγκοσμοῦσι· δύο μὲν τῶν Σωκρατικῶν φιλοσόφων, Αἰσχίνην καὶ Πλάτωνα, δύο δὲ τῶν ἱστορίαν συνθέντων, Ἡρόδοτον καὶ Θουκυδίδην, τρεῖς δὲ τῶν ὀνομαζομένων ῥητόρων, Ἰσοκράτην καὶ Λυσίαν καὶ Δημοσθένην· καὶ τοὺς μὲν πέντε ἀναμαρτήτους ἐν πᾶσι τοῖς εἴδεσι τοῦ λόγου τίθεται. Θουκυδίδου δὲ αἰτιᾶται τὸ κατεστοιβασμένον καὶ περιειργασμένον, Πλάτωνος δὲ ἀτεχνίαν τῆς τῶν ἰδεῶν κράσεως καὶ τὸν ποιητικώτερον ὄγκον τῆς πεζῆς διαλέκτου.

[4]) Vide sis et quaestionem in libri Π. ὕ. c. XXXIII; quod si Longinus (T. ρ́, 19) etiam Sophistas laudat, ne de fide illi loco tribuenda disputemus, verbum illud sophistam pro oratore haud dubie usurpat; enimvero et Isocrates ita vocatur in l. Π. ὕ. c. IV.

cur idem de iisdem diversas, - sed non semper [1]), - sententias protulerit.

25. — Hoc praesertim argumento nonnulli nostram opinionem propulsant, quod, cum in libello Π. ὕ. verborum et sententiarum dicantur esse figurae, atque in illis hyperbaton laudetur; - in « Arte rhetorica » schemata sententiarum Longinus esse neget [2]).

Quod ad figuras attinet, breviter respondam verba commentarii nostri – *διςσὰ δέ που ταῦτα (σχήματα), τὰ μὲν νοήσεως, θάτερα δὲ λέξεως* [3]) – omnium fere doctissimorum censorum consensu ut interpolata esse respuenda: enimvero nulla in universo libro huius duplicis figurarum generis est mentio; auctorem immo *σχήματα νοήσεως* sententias potius existimare ex hoc manifeste apparet, quod de iis in parte quae sententias spectat [4]) est sermo; - de hyperbato autem Longinum idem fecisse, quod optimus quisque magister vel hodie faciat; ab omnibus enim locutionibus, quae grammaticae leges violent, vel orationis ordinem perturbent, discipuli, qui arte et usu quin modum excedant non impediuntur, distrahendi sunt; sed omnes huiuscemodi nonnulla magnas ut virtutes admiramur; – itemque in Arte rhetorica Longinus hyperbatum vitandum esse, ut praeceptor, docet; illud autem in libro De sublimitate, ut criticus, laudat, laudeque dignos Thucididem et Demosthenem putat, quod eo saepe et sapienter usi sint [5]).

---

[1]) Vide ex. gr. c, XXII de felici Thucydidis sed periculosa audacia, et c. IV, XXIX, XXXII, XXXVI de Platonis vitiis nonnullis.

[2]) T. ῥητ., Περὶ λέξεως, 30 : Ὅσα... σχήματα τῶν ἐννοιῶν ὠνόμασται... οὔ μοι δοκεῖ δικαίως σχήματα καλεῖσθαι, ἀλλ ἔννοιαι, καὶ ἐνθυμήματα, καὶ λογισμοὶ τοῦ πιθανοῦ χάριν (Max. Plan. χωρίου) καὶ πίστεων εἴδη.

[3]) Π. ὕ., c. VIII.

[4]) Idest in c. XI-XII, ubi περὶ αὐξήσεως, de amplificatione; et in c. XV, ubi περὶ φαντασίας, de visionibus, loquitur.

[5]) In c. XXII; perperam vero αὐθάδης illud *dure* italice interpretatus est Perticarius (in *Collana degli antichi stor. gr. volgarizz.*; Mediolani, 1827), ut similia auctoris nostri et Dionysii Halic. de Thucydide iudicia

V.

26. — Quaestio nostra ea est, ut, contrariis tantum argumentis refutatis, nulla iam sit; tamen, ut et supervacanea adversariis largiamur, nonnulla quae omnia dubia dirimant, planeque Longino rhetori librum Π. ὕ. adserendum esse demonstrent, addemus.

Itaque ab argumento incipiam quod iam a primis controversiae temporibus Amatius protulit, ut saeculo tertio commentarium nostrum tribui non posse demonstraret, et nobis nostrae de auctore sententiae nunc suffragari videtur.

27. — Hanc posuit ille quaestionem: « Qui saltem (auctor τοῦ Π. ὕ) non Hermogenen citasset, cuius Τεχνικοῖς universi postea adhaeserunt? [1]».

Sed minime mirum iam tum esse debebat scriptorem, qui, abditus in veterum studio, aequales sprevisse demonstret, Hermogenis neque nomen memoravisse, neque doctrinas secutum esse; nunc autem, Longinianae Artis rhetoricae maioribus fragmentis epitomeque inventis, res ipsi Longino favet. Enimvero ne in illis quidem, - quod magis Amatio mirandum videretur, - ulla est Hermogenis mentio, qui tamen de eadem disciplina disertissime scripserat; in hac autem anonymus auctor praecise Hermogenis ῥητορικῇ Longinianam opponit [2].

---

redderet; idem enim significat atque δεινότατος, quod ad Thucydidem laudandum usurpatur.

[1]) In Epist. cit. — Hoc et priores libelli nostri censores animadverterunt, omnemque, quod minime necesse erat, industriam ad duos inter se rhetores conciliandos adhibuerunt.

[2]) Hoc est Ἐπιτομῆς initium: Καλὴ μὲν ἡ τοῦ Ταρσέως Ἑρμογένους ῥητορική. Πῶς γὰρ οὔ; συνεκτικωτάτη γάρ ἐστι πάντων τῆς τέχνης μερῶν. Ἀλλ'

28. — Sed maioris nobis momenti sunt illa, quae ex Genesis principio in libro Π. ὕ. citantur [1]), quum neminem fugiat saeculo tertio magis quam antea Iudaeorum libros evulgatos esse, fere omnibus illius aetatis philosophis Christianorum doctrinam ab orientali ortam existimantibus, eam multis, Celso, Porphyrio aliisque, refellentibus, nonnullis, inter quos fuisse constat Ammonium Saccam, etiam sequentibus; quorum omnium si animadvertatur discipulum atque familiarem Longinum fuisse, iam nostram ut sequantur sententiam animi inclinabunt; – quam autem omnes omnino probandam censeant necesse est, cum apud Joannem Siceliotam legerint, illa Genesis verba non modo Christianos, sed etiam Graecorum disertissimos, in iisque Longinum, admiratos esse [2]).

Ipsi adversarii quanti sit hic libri Π. ὕ. locus intellexerunt, quippe qui maximo studio, sed frustra, cum omni auctoritate destituere conati sint [3]). Nonnulli enim adfirmaverunt minime illinc deduci posse auctorem nostrum sacrarum literarum peritum fuisse, sed potius, – quod citandi parum accurata ratio demonstret, – ab alio fonte, fortasse a Caecilio Calactiano, qui

---

οὐδὲν ἐλάττων ταύτης καὶ ἡ τοῦ κριτικωτάτου Λογγίνου. Οὗτος γὰρ καὶ εὐμαθέστερός ἐστι τοῖς ἀναγινώσκουσιν, εὐθὺς ἀπὸ προοιμίου ἀρχόμενος καὶ τὰς ἀρετὰς ἑκάστης τῶν τῆς τέχνης μεθόδων δήλους ἅπασι καθιστῶν.

[1]) Π. ὕ., c. IX; en tibi locus: Ταύτῃ καὶ ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐχώρισε (sic duo cod. vatic.; alii: ἐγνώρισε), κἀξέφηνεν, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων: — Εἶπεν ὁ θεός, — φησί · τί; — Γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο · γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο. —

[2]) In *Comm. ad Hermog.* Περὶ ἰδεῶν, I, 6: Καὶ ὁ Μωϋσῆς. — Εἶπεν ὁ θεός · γενηθήτω τόδε, καὶ ἐγένετο τόδε, — ὃν οὐ μόνον Χριστιανῶν ἐκθειάζουσιν, ἀλλὰ καὶ τῶν Ἑλλήνων οἱ ἄριστοι, Λογγῖνος καὶ ὁ ἐκ Φαληρέως (sic) Δημήτριος. In quo Jo. Sicel. loco etiam hoc notandum est, eandem esse quae in nostro citandi rationem; quin illo minime sublimi τόδε Longiniana φῶς atque γῆ consulto resumi videntur.

[3]) Primus C. S. Schurzfleischius (in *Animadvers. ad D. L.* π. ὕ. *commentationes* ecc.; Vitembergae, 1711); deinde magisque Theoph. Roeperus (in «Philol.» Gottingae, 1846).

τὴν δόξαν Ἰουδαῖος vocatur a Suida, et cuius librum ipse in manibus habuisset, mutuatum esse.

Quae vero parum ad nos, cum Joannes Siceliota non dicat Longinum Iudaeorum literas calluisse, quamvis hoc probabilius videatur, sed Genesis locum, quomodocumque cognitum, laudavisse. Tamen facere non possum, quin obiiciam hoc pro certo habendum esse, Longinum maiori cum diligentia illum locum allaturum fuisse, si apud Caecilium, cui suae ipsius religionis libri notissimi esse debebant, invenisset. Quare putandum est nostrum ex memoria potius cum multa graecorum scriptorum immutata vel imperfecta, tum haec Moysis citavisse, quippe qui non munus existimaret esse suum « ut quam accuratissime et religiosissime singula adscriberet exemplorum verba, sed, quo erat ingenio, satis habuit diligenter attulisse id, quod summum esset uniuscuiusque rei [1]».

Sunt alii [2] qui censeant, - quod maioris ponderis est, - locum probabiliter ab aliquo iudaeo vel christiano temporibus posterioribus interpolatum esse, quod non bene illis quae praecedunt et sequuntur Moysis verba coniungantur.

Quam opinionem omnes respuent, qui caput totum legerint, sententiarumque ordinem observaverint. Auctor enim primum orationis sublimitatem esse docet animi magni velut repercussum sonum; deinde Homerum tum saepius eam consequi quum deorum nobis nobilissimis verbis potentiam demonstret; hic addit: - Huius vero dignam imaginem etiam legum Iudaeorum scriptor dedit; - pergit autem demonstrans quo modo Homerus et heroas sublimiter describat; concludit demum statuens Iliadem virili aetati, Odisseam poetae senectuti adscribendas videri. - Igitur, Mosaica licet verba in capite citentur, quod

---

[1]) Ex Henr. Herseli diss.: *Qua in citandis scriptorum et poet. locis auctor lib. π. ὕ. usus sit ratione;* Berolini, 1884.

[2]) Primus Fr. Portus in sua edit., Amstelodami, 1733, quem secuti sunt D. Wittembachius, C. Valkenaerus, Fr. A. Wolfius, Aug. Mattiae, Leon. Spengelius.

praesertim de Homericis poematis loquatur [1]), tamen considerandum est, hoc tantum Homerum memorari, quod exemplis illa, quae in primis noster sibi demonstranda proposuisset, declaret; ad argumentum autem summopere esse accommodatum Genesis principium, quod sententiarum ordinem non perturbet, immo iuvet; partim enim quae τοῦ θείου δύναμιν spectat finem facit, antequam ad ἡρωικὰ μεγέθη transeat auctor.

Quod autem dicant de loci interpolatione, minime fide, paene dixi confutatione, dignum videtur; a iudaeo enim vel christiano homine Moyses – οὐχ ὁ τυχὼν ἀνήρ [2]), – appellari non potuit.

29. — In Ioannis Siceliotae commentario alia sunt quae nostram opinionem confirment. Ille enim Hermogenis interpres nobis tradidit Longinum in libro XXI τῶν φιλολόγων ὁμιλιῶν [3]) illud στόμφαξ explanantem, quod ab Aristophane [4]) de Aeschyleo scribendi genere praedicatur, Aeschylum grandiloquum vocavisse, sed usque ad vitium [5]). Quam eandem sententiam in libro Π. ὕ. legimus cuius auctor adfirmat ἐνίοτε μέντοι ἀκατεργάστους καὶ οἱονεὶ ποκοειδεῖς τὰς ἐννοίας καὶ ἀμαλάκτους illum poetam scripsisse [6]). Accedit quod versus

---

[1]) Quamvis in eo capite de Hesiodi loco sit sermo.

[2]) V. pag. 44, [1]).

[3]) V. pag. 39, [7]).

[4]) In Νεφελῶν v. 1367.

[5]) **Π.** ἰδ., α': τραχεῖα γάρ ἐστιν ἡ λέξις καὶ τῇ ἀκοῇ καὶ τῇ γλώττῃ· εὕρημα τοῦ Ἀριστοφάνους ἡ λέξις, κωμῳδοῦντος Αἰσχύλον ὡς τραχύν· φροντίζων γὰρ ὁ ποιητὴς μεγέθους καὶ οὐκ ἐπιτυγχάνων εἰς τραχύτητα περιπίπτει ...., φαίνεται δὲ ἡ ἀτοπία τοῦ ποιητοῦ μᾶλλον ἐν τῷ τῆς Ὠρειθυίας δράματι, ὅπου ταῖς δυσὶ σιαγόσι φυσῶν ὁ Βορέας κυκᾷ τὴν θάλασσαν .... Λέγει δὲ περὶ τούτων Λογγῖνος ἀκριβέστατον ἐν τῷ κα' τῶν φιλολόγων.

[6]) Tamen illorum opinione uti nolumus qui censeant librum **Π.** ὕ. partem **Τῶν** φιλ. ὁμιλιῶν fuisse, duobus locis confisi, quorum alter Io. Siceliotae, de quo nobis est sermo, alter anonymi Hermogenianae rhetorices interpretis, qui eosdem Orythiae versus citat. — Haec opinio, quam primum protulit diarium *Gazette litteraire d' Iéna*, in n. 70 a. 1810, deinde Wachlerus Walziusque patrocinati sunt, omnem dirimeret controversiam; sed iam refellendam demonstravit Buchenavius (in diss.

ex Orythia tragoedia, ad Aeschyleae orationis tumorem demonstrandum a Longino relatos [1]), in quibus Boreas buccis inflatis mare turbans inducitur, iidem esse videntur qui in commentarii nostri loco duobus codici parisiensi foliis deficientibus mutilo leguntur [2]), quum et in his de Borea agatur, quem auctor ut *αὐλητὴν* indecore effictum esse dicit, nam *οὐ τραγικὰ ἔτι ταῦτα, ἀλλὰ παρατράγῳδα* videantur. – Praeterea hoc animadvertendum est, in eodem capite, post illos versus, tragoediam – *πρᾶγμα ὀγκηρὸν φύσει καὶ ἐπιδεχόμενον στόμφον* – appellari, eodem usurpato substantivo ex quo Aristophanaeum *στέμφαξ*, quod Longinus explicavit, originem ducit.

30. — Adde plurimas sententias locutionesque Longini fragmentis quae supersunt et Π. ὕ. libello esse communes; ita ut Dav. Ruhnkenius, vir sane doctissimus, adfirmaverit hoc se ad Longinianae Τέχνης ῥετορικῆς partem in Apsiniana intrusam inveniendam deductum fuisse, quod huius stilum, immutatum, stylo commentarii nostri similem fieri sensisset [3]).

De script. l. π. ὕ.; Marburgi Catt., 1849); enimvero, ut verbis utar A. Vaucheri, « rien n'appuie une pareille hypotèse: les fragments qui nous restent des φιλόλογοι ὁμιλίαι n'ont aucun rapport de style ni de pensée (?) avec le Traité περὶ ὕψους; de plus, la forme, l'étendue et le mérite de ce traité ne permettent guére de supposer qu'il appartienne á une compilation de ce genre; enfin, les scoliastes nous donnent la substance et la plupart des expressions de ce passage de Longin, et l'on ne saurait y retrouver aucune trace de la section III du Traitó περὶ ὕψους (ex prooem. suae edit.: *Études critiques sur le tr. du Sublime* ecc., Genevae, 1854) ». Praeterea ordine, natura, argumento liber Π, ὕ. integrum opus videtur.

[1]) V. pag. super. adn. n. 5.

[2]) Π. ὕ., c. III.

[3]) « I' y reconnus non seulement la marche de Longin, mais plusieurs expressions qui lui sont particulières (ex diss. in diario *Biblioth. des Sciences et des Beaux-Arts* edita; Hagae, 1765) ». Rerum communium multas, praesertim ex Ruhnkenio et Bakio, iam notaverunt C. F. Hermannus, B. Weiskius, L. Spengelius; cfr. et T. Cannae prooem. vers. italae, Florentiae, 1871.

Sed satis erit nobis illa quae in c. X, – quibusdam rebus natura quaedam concomitantia inesse, quae ipsis cum rebus cooriantur, et sublimitatis sine ullo dubio sint fontes, – atque in c. XXX, – verba lumina propria esse mentis [1]), – conferenda proponere cum locis Artis rhetoricae in capitibus περὶ εὑρέσεως [2]) et περὶ λέξεως [3]), qui easdem sententias ferunt.

Nec minoris sunt nonnulla in libro Π. ὕ. et Longini Commentario in Timaeum ex Proclo [4]) aliisque fragmentis, cum

---

[1]) C. X. locus sic se habet: Ἐπειδὴ πᾶσι τοῖς πράγμασι φύσει συνεδρεύει τινὰ μόρια ταῖς ὕλαις συνυπάρχοντα, ἐξ ἀνάγκης γένοιτ' ἂν ἡμῖν ὕψους αἴτιον κτλ.; c. autem XXX: Φῶς γὰρ τῷ ὄντι ἴδιον τοῦ νοῦ τὰ καλὰ ὀνόματα.

[2]) T. ῥ., π. εὑρ., 9: ἕτερον εἶδος διαιρέσεως τόδε ἀνυστικώτατον εἰς εὕρεσιν, τά συμβεβηκότα καὶ τὰ συνυπάρχοντα τοῖς προσώποις τε καὶ πράγμασι διαβλέπειν κτλ.

[3]) T. ῥ., π. λέξ., 17: φῶς γὰρ ὥσπερ τῶν ἐννοημάτων τε καὶ ἐπιχειρημάτων ὁ τοιοῦτος λόγος.

[4]) Ex. gr. - α) fragm. comm. Procli, a Vincentio, in codd. mss. 1838 et 1841 Biblioth. paris. inventum, verba Longino tribuit: χάριν τε καὶ ὕψος ἀμφοτέροις (κώλοις Platonicae periodi) προστεθῆναι; et subter: ὕψος ε τὴν ὅλην περίοδον. Ad quas locutiones quod attinet, animadvertendum est et auctorem nostrum ὕψος saepe cum alio verbo, ad pulchritudinem orationisque ornatum pertinenti, coniunxisse. Sed haec protulit A. Vaucherus in suae edit. prooemio: «Le mot ὕψος, ainsi ques ses dérivés et ses composés, la plupart de ses synonymes et de ses contraires, ne se rencontrait pas dans la Rhétorique de Longin. Nous pouvons étendre cette observation à tous les rhéteurs grecs, qui, depuis Hermogène, ont traité de l'élocution. Ils se servent, pour exprimer la majesté, la noblesse du style, des mots μέγεθος, ou μεγέθη, ἀξίωμα, ὄγκος ecc.». Quae quam parvi sint nemo est quin videat, cum, ut non in Arte rhetorica, tamen, teste Proclo, in alio opere Longinus ὕψος et ὑψόω usurpaverit; quo fit ut Vaucheri illa de rhetoribus Hermogeni posterioribus mirum in modum opinioni nostrae suffragentur.

β) Praeterea nonnulli sunt apud Proclum Longini loci, in quibus, de Platonis scribendi genere et praesertim de immodicis eius metaphoris, eadem atque in libello nostro, iudicia proferantur. Uno ut utar exemplo, cfr. Π. ὕ. c. XXXII, in quo haec leguntur: τὸν Πλάτωνα οὐχ ἥκιστα διασύρουσι, πολλάκις, ὥσπερ ὑπὸ βακχείας τινὸς τῶν λόγων, εἰς ἀκράτους καὶ

contra, ut supra demonstravimus, perpauca discrepantia facile explicari possint [1].

31. — Quid plura? Omnia quae exstant Longini scripta veterumque testimonia, eum talem fuisse demonstrant, qualem se auctor libelli Π. ὕ. praestat: censorem acutum, rerum rhetoricarum et metricarum [2] peritissimum; veteres scriptores plurimi habentem [3], aequales contra, ut saepius diximus, contemnentem; magni ingenii philosophum, qui, Platonem magistrum adhibens, philosophiam cum eloquentia coniunxit ceterisque artibus, quibus eloquentia alitur et augetur; et in primis virum elato animo nobilique praeditum, quem cum integre vivens tum gloriose moriens demonstravit.

Quare, cum nisi coniecturis nequeat controversia solvi, haec nobis opinio probabilior videtur, ipsum Longinum libelli qui Π. *ὕψους* inscribitur auctorem fuisse.

ἀπηνεῖς μεταφορὰς .... *ἐκφερόμενον* -; cum hoc fragm. Longiniano (XI in Vaucheri edit.): **Πλάτωνα δὲ ἐν μὲν τῇ χρήσει τῶν ὀνομάτων ᾐτιάσαντό τινες ὡς μεταφοραῖς χρώμενον.**

1) V. pag. 42.

2) Cfr. Longini **Τὰ προλεγόμενα εἰς τὸ τοῦ Ἡφαιστ. ἐγχειρίδ.** cum **Π. ὕ.** c. XXXIX, XL, XLI.

3) Ceteris omissis, cfr. Longini opus **Ὁ** *φιλαρχαῖος*, cuius est mentio apud Porphyrium in *V. Plot.* loco, quem perperam multi interpretati sunt, ita ut diu operis titulus epithetum laudativum haberetur: **Ἀναγνωσθέντος δὲ αὐτῷ (Πλωτίνῳ) τοῦ τε Περὶ ἀρχῶν Λογγίνου καὶ τοῦ Φιλαρχαίου κτλ.**